

genus deliberatiuum: vtpote quæ continet seueram Christi, sub persona regis & serui debitoris, adhortationem ad mutuam offensusum condonationem. Postquam hoc modo considerasti tria causarum genera, à philosophis constituta, pari passu tibi percurrenda sunt quinque causarum genera, quæ Spiritus Sanctus 2. Tim. 3. v. 16. & Rom. 15. v. 4. constituit. Ex his primum est genus διδασκαλικόν siue διδακτικόν, hoc est, doctrinale, quo vera dogmata puta articuli fidei, seu loci communes pertinentes ad fidem Christianam, tractantur: videlicet locus de Deo, de justificatione, de vita æterna, & similes. Huic proximum est genus ἐλεγτικόν, id est, redargutiuum, quo falsa dogmata & hæreses confutantur. v.g. quod plures sint dii, quod nulla sit Dei prouidentia, quod corpus Christi sit vbique. Tertium genus est παιδαγωγικόν, institutiuum, quo ad pie sancteque viuendum populus Dei eruditur atque formatur: vt, quod gloria Dei rebus omnibus sit anteferenda; quod compensatio peccatorum non sit facienda; quod dandæ sint eleemosynæ; quod Deus sit inuocandus. Quartum genus est ἰκασορθωτικόν, correctoriũ, quo peccata & corruptelæ morũ carpiuntur & prohibentur: qualia sunt ignorantia verbi Dei, contētus ministerii verbi & sacramentorũ, impatiētia in cruce, omissio precũ, idololatria, scortatio, auaritia, & id genus alia. Quintum genus est ὀψοκλητικόν, consolatoriũ, quo erigantur homines variis tentationibus & ærumnis pressi: quales sunt, qui annonæ caritate premuntur, persecutiones tyrannorum sustinent, tentationibus electionis diuinæ aut fidei exercentur. Si ergo thema aliquod pro concione sit tractandum, diligenter meditare, ad quod nã causæ genus pertineat. v.g. sextum decalogi præceptum pertinet ad genus παιδαγωγικόν & ἰκασορθωτικόν: caput primum Geneseos pertinet ad genus διδασκαλικόν. Ad extremum observa, non tantum tria ista Philosophica, sed etiam quinque illa theologica causarum genera sæpius misceri, vnde concio diuiditur in simplicem & mixtam.

## C A P. VI.

## De inuentione argumentorum generalis.

## P R Æ C E P T A.

**I**nuentio argumentosa est, qua ecclesiastes conquirunt argumenta, quibus propositum thema possit tractari.

Eius occurrit theoria, & praxis.

Quantum attinet ad theoriam, inuentio ecclesiastica est generalis, vel specialis.

Inuentio generalis est, qua inueniuntur argumenta in genere.

Estque didascalica seu logica, ethica seu moralis, & pathetica seu affectuosa.

Inuentio